

LXXXV.

Anno 1339. Zagrabiae.

Provinciam Metlikam una cum Sihestain, Sichemberg et Grachan (nunc in Carniolia) intra ambitum Dioecesis Zagrabiensis esse sed ab Equitibus Theutonicis tempore bellorum, in Hungaria exortorum, a Croatiae Regno avulsa fuisse, demonstratur.

In nomine Domini Amen. Anno eiusdem Millesimo trecentesimo quadragesimo: Pontificatus sanctissimi in Christo patris domini Benedicti duodecimi divina providentia Sacrosanctae Romanae ac universalis Ecclesiae summi Pontificis Anno Sexto. Frater Joannes Ordinis Cisterciensis Abbas Conventus Ecclesiae Monasterii Sanctae Mariae de Toplica, Zagrabiensis Dioecesis, iudex unicus ad infrascripta a Sede Apostolica delegatus, Universis praesentium noticiam habituris Salutem in Domino. Litteras Sanctissimi Patris domini Benedicti Papae supradicti, eius bulla plumbea in filo canapis more Romanae Curiae bullatas, veras et integras, ac omni suspitione carentes, pro parte Ecclesiae Zagrabiensis et Venerabilium virorum Capituli eiusdem Ecclesiae, per Reverendum virum dominum Jacobum Lectorem, Generalem Vicarium Venerab. in Christo patris domini Ladislai Dei et Apostolicae Sedis gratia eiusdem Zagrabiensis Ecclesiae exhibitas, nos percepissemus noveritis in haec verba. Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii Sanctae Mariae de Toplica, Zagrabiensis Dioecesis, Salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Capituli Ecclesiae Zagrabiensis precibus inclinati, praesentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, quae de bonis ipsius Ecclesiae alienata inveneris illicite vel distracta, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae legitime revocare procures. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam appellatione postposita conpescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, Censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avinionis quarto Nonas Martii. Pontificatus Nostri anno quinto. Quibus quidem litteris Apostolicis, per nos cum ea, qua decuit, reverentia receptis, idem dominus Jacobus Vicarius nomine eiusdem Zagrabiensis Ecclesiae Capituli graviter est conquaestus: Quod Religiosus vir Frater Henricus, ordinis Cruciferorum domus Theothonicae Commendator sive praeceptor domus eiusdem de Chernomel in Methlica, et fratres eius, decimas ibidem et circumquaque ad ipsum Capitulum pertinentes, indebite occupatas percipiebant, quas petebat ad ius et proprietatem Ecclesiae Zagrabiensis, et per consequens, Capituli eiusdem reduci, sicut habebamus per Apostolicas litteras in mandatis. Nos vero ordine iuris procedentes,